

tatem disputavit. Atque id ipsum etiam in Dialogo *de Finibus bonorum & malorum* observavit, ut Epicurea Torquato, Pisoni Academica, Catoni Stoica, quemadmodum cuique maxime probabantur, tribuerit. Vide hæc aliis adhuc exemplis illustrata apud Carolum Sigonium in jam memorato libro *de Dialogo* p. 73. seq.

## §. V.

Cum ultimo loco in definitione Dialogi dicitur, requiri accuratam compositionem verborum, patet inde comptum & politum stylum, qui dicendi opifex est, commendare maxime hujusmodi colloquia. Dicitio præterea neque humilis, neque supra dignitatem, sed decora esse debet, ac respondere moribus & rebus, de quibus tractatio suscipitur: respondebit vero, si neque de amplissimis rebus breviter, neque de humilibus graviter dicatur. Id quod Cicero in Lib. *de Oratore* his verbis indicat: Quam indecorum est de stulticiis, cum apud judicem agas, amplissimis verbis, & locis uti communibus, de majestate populi Romani submisse & subtiliter dicere? Et idem alibi: Est quid deceat Oratori videntum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis: non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec vero locus aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum. Notandum autem eum, qui scite & venuste dialogum scribere vult, debere esse & Poëtam, & Oratorem & Dialecticum. Ac Poëtarum quidem præceptis

*Dicitio dialogi quomodo comparata esse debeat?*

*Dialogus informatur Poëtarum, Oratorum, & Dialecticorum & præceptis.*